



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manvale Episcoporum Pro Decretis in
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

cap. 28. De Magistris caeremoniarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

nis Synodalis. omnino vero adfint omnes pro Communione Cleri.

D E M A G I S T R I S CÆR E M O N I A R V M
Cap. XXVIII.

- 1 **D**uo saltem Magistri Cæremoniatum cligi debent, quorum alter Episcopo taurum inferiat, alter Promotoribus, & Secretario: uterque toti actioni Synodali.
- 2 Habeant igitur Indicem quisque suum, & omnino concordem, cum Indice Secretarij, de quo supra c. 20. n. 12. in quo tota series, & ordo breuiter indicetur, qualem infra suo loco dabitur. in 4. part. cap. 12.
- 3 Publicari, & indici Synodum procurent, in Festo Epiphaniae ad præscriptum Pontificalis Romani, & vt supra cap. 2. num. 1.
- 4 Tum adfint Congregationi consultorum, de qua c. 7. & stantes, cooperito tamen capite, audiant, vt exequantur mandata; reuerenter etiam suggesterant, si quid occurrit prenotandum pro Synodali actione.
- 5 In primis autem eorum curæ sit apparatus Cathedralis Ecclesie, de quo supra caput. 9. vna cum Sacristi.
- 6 Præterea que ad habitum Cleri spectant, de quo cap. 13. ad processiones cap. 14. ad Horas Canonicas, & Missas Synodales c. 15. ad musicos concensem cap. 16. ad campanarum pulsationem cap. 17. nu. 2. ipsi procurent.
- 7 Ad ea item, que infra præscribuntur, in actione Synodali diligenter attendant.
- 8 Cum Sacristia agant pro præparandis ijs, quæ necessaria sunt ad Missas Synodales: & præter consueta, parentur tria thuribula pro incensando Clero.
- 9 Nam, Diacono incensante Cletum Cathedralis Ecclesie, fere statim (incensatis primis Canonicis) duo Thuriferarij incensabuntur Clerum, primo Urbanum, deinde Foraneum hinc inde ambo simul, saltem unico ductu cucunque sedilium ordini: & eodem modo ijdem dabunt pacem primo cuiusque ordinis sedilium, & primus alijs de more.
- 10 Pro communione Cleri patari current stolas pro Sacerdotibus rubei coloris, & vinum sufficiens pro purificatione.
- 11 Cetera, que ad Missas spectant, sunt de more: nisi quod in fine Missæ Episcopus non dabit benedictionem, quam dabit in fine sessionis, ex Cærem. Episc. lib. 1. cap. 31.
- 12 Pro Absolutione Defunctorum extenderetur pannus ante sedem Episcopi, & accedente Subdiacono Missæ, cum Cruce, &

- 13 Acolythis cum candelabris, fiet absolutio de more, Oratio erit pro Sacerdotibus, & Episcopis, vt in Missa, vel alia communis.
- 14 In actione Synodali current à Beneficiatis, seu alijs Cantoribus cantari Antiphonam: à Clero Psalmum alternatim, patti ab Urbano, partim à Foraneo, sedentibus: à duobus Cantoribus litanias, vel à musicis: à Canonico parato, & Subdiacono coheret canonico Euangelium; à Musicis Hymnum, Veni creator, post incepsum ab Episcopo primum versum.
- 15 Standum erit à Clero, quando stat Episcopus, vt in Pontificali, & præterea ad Acclamations.
- 16 Genusfectendum erit ad primam Antiphonam ante Psalmum, ad Litanias, ad primos versus Hymni, Veni creator, ad benedictionem Episcopalem, & ad orationem mentalē.
- 17 Sedendum erit ad Psalmum, sermonem, & ad lectiōnem Decretorum.
- 18 Ut autem omnes eodem tempore idem præstant, eligantur sex, octo, aut plures Clerici è grandioribus, vel è Seminario, vel è Clero; qui distributi per varia loca intra Cletum, inveniant quando standum quando genuflectendum, quando sedendum, ad nutum, Magistrorum Cæremoniarum, qui manu eleuata, depressa, & magis depressa, sine clamore, tres illos situs significabunt Clericis prædictis, & hi Clero voce demissa.
- 19 Opportune præmoneant Clerum, de Psalmo, qui cantandus erit, prima & tertia die: Saluum me fac Deus, de Feria quinta initio; secunda die: Deus venerunt gentes, de eadem Feria penultimo loco Nocturni.
- 20 Si afferantur Reliquiae Sanctorum pro iumento Examinatorum, quod Mediolani fit, eas procurent deferri à prima Dignitate, stola addita sub pluiali, sine velo longo, cum 4. intorticijs de Sacristia, ad Episcopum, qui cum Clero surgit; deinde cum mitra sedens, & in gremio ambabus manibus, vel supra mensam eas tenens, excipit iuramenta. Stabit Clerus ob reuerentiam Reliquiarum, eodem modo reportantur. Videant autem, ne Clerus expectet diutius, & quam par sit, Sacras Reliquias.
- 21 Ordinande processioni præterunt ijdem Clerici, qui supra, seu alijs quibus viam præscribent cæremoniaturum Magistri, & terminum eiusdem.
- 22 Current etiam, vt in Altari maiori ardeant sex candela, durante sessione Synodali.
- 23 Hæc præcipua sit attigile satis: Magistri nomen excitat ad omnia bene gerenda; & exactissime.

D E